

B. M. E. III.

h. 24. 17.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

INVESTITURA

P E R

ANNULUM ET BACULUM IMPERIO INJUSTE EXTORTA

QVAM

PRÆSIDE

JO. ERNESTO SCHUBERTO

S. TH. D. ET PROF. PUBL. ORD. SACR. REG. MAJ. SUEC.
CONSIL. ECCLES. PRIMAR. REGII CONSIST. ASSESSORE,
ET PAST. AD AED. ST. MARIE.

PATRE SUO VENERANDO

IN ACADEMIA GRYPHISWALDENSI
D. VII. DEC. A. R. S. CCCCCLXXIII.

PUBLICE DEFENDET

GUIL. JULIUS LUD. SCHUBERT

HELMSTADIENSIS

LL. CULT.

GRYPHIAE

LITTERIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.



LIAESSTITUR
AMULUM ET BUCOLI
INSEPIO INSTITU
EXORTA



ILLUSTRISSIMO
AC CELSISSIMO COMITI
DOMINO
FRIDERICO CAROLO
COMITI
DE SINCLAIRE

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS ET REGNI SUECIAE
SENATORI EMINENTISSIMO,
POMERANIAE SUECICÆ RUGIÆQUE PRO-PRINCIPI, REGII ORDINIS ENSI-
FERORUM COMMENDATORI MAGNÆ CRUCIS,
ACADEMIÆ GYPHISWALDENSIS CANCELLARIO
REVERENDISSIMO.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
ERIDERICUS CAROLUS
COMITI
DE SINGULARI
ACRE RUMI MATERIALE ET JOVET SUECA
ACERIS CAROLI PERNICIOSISSIMO
ACADIMENTO DE CANTABURIA CAMPIONE
ACUTUS INGENIO

Illusterrissime ac Celsissime Comes,
Domine Gratiostissime,

Dissertationem hanc TUÆ CELSTITUDINI humilli-
me offerenti facti veniam promittit eximia TUA
Humanitas, qua TIBI omnium corda non minus devin-
cis, quam reliquæ virtutes in Nominis TUI admiratio-
nem rapiunt omnes.

Te in Aeademia hac nunc versante et pro illius sa-
lute excubante peragetur hic disputandi actus. Spes
mibi facta est, fore, ut ipsa ILLUSTERRISSIMÆ CELSI-
TUDINIS TUÆ præsentia condecoretur. Evidem id
mihi magis metuendum, quam sperandum foret, si tan-
tum imbecillitatis meæ rationem haberem. Sed ani-
mum erigit excelsa TUA virtus, ut in hoc studiorum
genere plane non exercitatus aliquid conari decre-
verim.

At

Illustriſſimæ ſe Celsitudine Coꝛice
Domine Gratiotum

At vero optabam, ut et gratiæ hujus, qua me hæſitantem aliquando audire non dignatus es, aliquod extaret monumentum. Vile eſt, quod offero. Sed non displicebit TIBI pietas et devotio, qua libellum hunc TUÆ Celsitudini ſacrum eſſe volo, et qua ad cineres usque ero


Illustriſſimæ Celsitudinis Tuæ

Gryphisw.

d. II. Dec. 1773.

humillimus

GUIL. JULIUS LUD. SCHUBERT.



§. I.

Ex quo Imperatores christianam religionem professi sunt, Imp. Christi sui quoque juris & officii esse existimarent, res ecclesiasticas curare, suaque sapientia et auctoritate provide-re, ut in Ecclesia bonus ordo, pax, et tranquillitas conserva-retur. In primis Episcoporum constitutionem ad se pertinere putarunt. Permittebant quidem, electiones et ordinationes fieri secundum morem antiquum. Electiones tamen aut approbabant aut reprobabant, prout illis visum fuerit. Quandoque Episcopos constituebant, non audita voce cleri et populi. Interdum etiam rogabantur, ut hunc vel illum Ecclesias praeficerent, aut ipsi, quem vellent, eligerent. Hac ratione AMBROSIUS Mediolani, et NECTARIUS Constantinopolii munus episcopale consecutus est. Et plura hujus rei exempla proferri possent, nisi res foret omnibus notissima.

§. 2.

Hanc tamen potestate nec semper nec ubique exercebant, sed tantum, quando illis libuerit, et ubi opus esse videatur. A

Quod tamen non semper et ubique faciatur.

retur. Multæ Ecclesiæ suos Episcopos eligebat, et inauguari curabant, non rogato prius Imperatorum consensu. Nec id ægre ferebant summi Imperantes, præsertim, si persona digna electa, canones servati, et omnia tranquille peracta fuerint. In primis hac libertate dum fruebatur Ecclesia Romana. Serius enim Imperatores electionibus Pontificum Romanorum intervenisse legimus. Et cum id prima vice fieret, occasio aderat, qua in gubernandis Ecclesiis quibuscumque aliis utebantur, et eandem sibi in romanam potestatem competere demonstrabant, quam in quamcunque aliani Ecclesiam hactenus exercuerant. Mortuo namque ZOSIMO his de eligendo novo Episcopo orta est. Alii BONIFACIUM, alii EULALIUM prætulerant. Cansa ad Imp. HONORIUM deferebatur, qui recte iudicabat, utrique à functionibus episcopalibus abstinendum esse, donec causa satis cognita, et sententia lata esset. Cum autem EULALIUS non obtemperaret, Episcopatu indignus declarabatur, et BONIFACIUS mandato imperiali confirmabatur (a). Potuisset hac occasione lex ferri, quam postea latam esse videbimus, ut nemo auderet episcopalem dignitatem adire, nisi prius probatus et confirmatus ab Imperatore. Sed ille, potestatis sua certus, in casu simili idem agendi, quod nunc actum erat, hac lege non opus esse forte iudicavit, præsertim cum praesente suo Legato seu Praefecto Urbis electiones fierent, qui Domini sui auctoritatem interponere poterat, quoties circumstantiarum ratio postulabat.

§. 3.

Fura Impp. constituendi Pont. Rom. ante Carol. Mag.
Quod vero Imperatores neglexerant, aut non necessum judicaverant, id magis curæ fuit Regibus, qui sublato imperio romano Italiam occupaverant. Extat lex ODOACRI, primi Italæ regis, qua Romani prohibentur, inscio et inconsulto Rege Episcopum eligere. Nimis molestum hoc videbatur

Ro-

(a) Mandatum HONORII de instituendo BONIFACIO & relatio SYMMACI pæfeti de institutione ejus facta legitur apud BARONIUM in Annal. ad A. C. 419 num. 33. 34. Tom. V. p. 495.

Romanis, qui prima occasione data vim legis eludere tentabant. Nam mortuo SIMPLICIO, qui tamen ipse hanc legem Regi suaserat, conveniunt, novum Episcopum electuri, inscio et insalutato Præfecto Urbis. Qui quamprimum compererat, quid gereretur, ut jura Domini sui conservaret, mox in confessum procedebat, et lege Regis, quam omnes norant, in memoriam illis revocata, novam electionem se praesente institui jubebat (b). Ex his rebus geslis et ex tenore legis, quam BASILIUS, Urbis Præfector et Regis ODOACRE legatus tunc recitabat, manifestum est, elections in praesentia Ministri Regis fieri debuisse, qui sua auctoritate omnia gubernaret, ne turbæ et seditiones orirentur, et si omnia ordine et decenter peracta essent, totum negotium Regi significandum, et confirmationem ab eo petendam fuisse. Eandem legem Reges Gothorum renovarunt, et sancte servari voluerunt (c). Exercuerunt etiam hoc jus confirmandi, et quandoque constituenti Episcopos, in universa Italia. Episcopos Romanos, Ravennates, et Mediolanenses ipsis immediate confirmabant. Reliquum urbium praefules confirmare poterant Legati regii, nisi in causis gravioribus recurrendum fuerit ad ipsum Principem. Cum Imperatores CPtani Italianam recuperasset, eodem jure utebantur, et nemini licebat, sine illorum consensu et approbatione Episcopatum Romanum invadere, etiam si legitime electus esset. Quae tunc fuerit ratio eligendi et consecrandi Pontificis Romani, ipsis Scriptores Pontificii, MABILLONIUS et PAGIUS, ex Libro diurno Pontificum Romanorum prolixè narrant, quorum relationem hic inserere, non inutile erit: *Gothis Italæ ditione à Narsete omnino exactis, Italia que cum Urbe Roma in Orientalis Imperii portionem redacta, insignior*

A 2

(b) *Vid. ACTA CONC. ROM. apud HARDUINUM Conc. Tom. II. p. 977.*

(c) CASSIODORUS *Var. Epist. Lib. VIII. Epist. XV. p. 428 & Lib. IX. Epist. XV. p. 585.* BARONIUS in *Annal. ad A. C. 526. num. 15.*

4

in signior fuit in electione Papa mutatio usque ad Carolum M.
Mortuo Pontifice sedis apostolice vacantis cura tribus praeci-
puis Cleri Ministris committebatur, sc. Archipresbytero,
Archidiacono, et Primicerio Notariorum. Ab his quamprae-
mum de morte Papæ nuncium significatur Exarcho, quem Go-
this pulsis Ravennæ instituerat Imperator. Post justa defun-
ctio persoluta, exabsumque tridui jejunium, de eligendo Ponti-
fice tractabatur. Huic electioni intererant Clerus, Optimates,
populus et milites, h. e. Militum stationes, qui ad tutandam
adversus Longobardos reliquam Italie partem Romæ potissi-
mum et Ravennæ consistebant. De electione mox referebatur
ad Imperatorum, à quo petebatur expectabaturque factæ elec-
tionis approbatio. De ea item scriebatur ad Exarchum, ad
Judices, Archiepiscopum et Apocrisarium Ravennæ, ut electio-
ni faverent. Post datam ab Imperatore approbationem electus
tandem ordinabatur ad Confessionem beati Petri, ibique fidem
profitebatur, moxque fidei suæ confessionem ad omnes Ecclesiæ
dirigebat (d). Et rem sic se prorsus habuisse, tota historia
illius temporis testatur. Nam novus Pontifex saepè tres, qua-
tuor, pluresque menses post electionem denum consecraba-
tur, quo toto tempore ab omni functione episcopali abslinere
eum oportebat. Cujus rei ratio nulla alia erat, quam quod
ex aula Imperatoris expectanda esset confirmatio, qua deficien-
te electus nec pro Pontifice haberi nec ordinari poterat. PELA-
GIUS quidem secundus A. C. DLXXVII electus non expectato
consensu Imperatoris ordinabatur, quia Roma tunc à Longo-
bardis obsidebatur, nec via ad aulam patebat, ut facta electio
significari potuisset. Sed urbe liberata novus Pontifex nuncios
cum literis Constantinopolim misit, suam consecrationem ex-
eiuslaturos, ut ex ANASTASII et PLATINÆ vitis Pontificum con-
stat. Et memorabilis est petitio GREGORII M. qua Impera-
torem MAURITIUM movere volebat, ne in ipsius electionem
con-

(d) MABILLONIUS in *Commentario in Ord. Rom.* f. 17. PA-
GIUS in *Critica ad A. C.* 555. num. X. Tom. II. p. 618.

consentiret (e). Norat enim, suam electionem sine imperiali approbatione irritam esse, seque hoc modo declinaturum onus, cui portando humeros submittere recusabat.

§. 4.

Hac Episcoporum Romanorum constitutio aut confir- Et post eum.
matio erat præcipuum jus & quasi signum summæ potestatis,
ut, qui Romanum teneret, illiusque Dominus esset, hoc jure
earere non posset. Luculentum hujus rei omniq[ue] excep-
tionis majus documentum extat in Historia CAROLI M. Roma-
namque a Longobardis graviter afflita is e Gallia in Italiam
evocabatur, ut horum hostium ferociam compesceret. Vicit
eos, & ut in tanto Rege perpetuum suæ libertatis vindicem &
protectorem haberent, & simul Liberatori suo gratum ani-
mum testarentur Romani, Patriciatus dignitatem in eum con-
serebant. At cum hac dignitate illi simul tradebant jus eli-
gendi Pontificem, & ordinandi sedem apostolicam (f), quo
ipso significabant, se jam esse sub ejus potestate, & verum
ejus dominium in urbem agnoscerre. Hoc ipsum jus postea
magis confirmabatur, cum titulum & dignitatem Imperatoris
Romanorum consecutus esset. Translit quoque ad successo-
res ejus, qui eo, nemine contradicente, utebantur. Abla-
tum quidem aut potius impeditum aliquamdiu fuit, perturba-
tis nempe rebus Italia, quas CAROLI successores segniss admis-
traverant. Sed imperatoria auctoritate in OTTONE I. re-
stituta, & Italia in Germanorum potestatem rursus redacta,
rediit quoque jus summi Imperantis, de Episcopatu Romano
disponendi. Romani hunc suum Imperatorem & Dominum
agnoscebant, seque non recepturos Pontificem, nisi ab eo
probatum & confirmatum, sancti promittebant, ne suspecta
videretur data fides & promissa subjectio. Itaque ex mandato
novi Imperatoris pro JOANNE XII. qui fuga sibi consulerat,

A 3

novus

(e) PETRUS DE MARCA in Conc. Sacerdotii & Imperii Lib.
VIII. Cap. IX. §. 9. p. 1140.

(f) SIGEBERTUS in Chron. ad A. C. 773 apud PISTORIUM
Tom. I. p. 553.

novus Pontifex eliegebatur LEO VIII. qui singulari constitutio-
ne, suo totiusque cleri & populi romani nomine edita, jura à
CAROLO M. legitime acquisita in OTTONE I. confirmabat, &
hanc perpetuam legem esse volebat, ut ipse & Successores
eius in Regno Italæ facultatem haberent, *eligendi & ordi-
nandi summæ sedis apostolicæ Pontificem* (g).

§. 5.

Jus univer-
sale omnium
principum.

Agnoverunt ergo Romani, suis Regibus & Imperatori-
bus potestatem competere, Ecclesiæ suæ Episcopos constitu-
endi. Etiam si vero non agnoverissent, Imperatores tamen hoc
suum ius nec ignoraturi nec neglecturi fuissent. Exercebant
enim in aliis terris & urbibus, quas sub suo habebant imperio,
idque non ex concessione populi, cleri, aut Pontificis Roma-
ni, sed vi supremæ suæ potestatis. Inprimis per universam
Germaniam inde à Caroli M. tempore Episcopi ab Imperato-
ribus Regibusque Germanorum constituebantur, aut si à clero
electi fuerint, confirmatio petebatur. Exempla hujus rei
quam plurima extant in DITMARI Martisburgensis *Chronico*,
& in Anonymi *Chronico Magdeburgensi*, quod HENR. MEI-
BOMIUS Tomo II. *Rer. Germ.* p. 269. seq. inseruit. Eundem
morem in Gallia & Anglia viguisse, testatur, & multis exem-
plis probat NATALIS ALEXANDER (h). Nec ullibi extitit
regnum christianum, cuius Reges hoc jure usi non fuissent, li-
cet nulla intercesserit transactio cum Pontifice, nulla conven-
tio cum clero vel populo. Res adeo nota est, ut nulla pro-
batione indigeat. Addam tamen testimonium Scriptoris Sec.
XIV. LUPOLDI à BABENBURG, *Episcopi Bambergensis*, ex
quo patebit, quid eo tempore hac de re universaliter creditum
sit. Sie autem ille: *Reges & Imperatores non tam virtute
dicii privilegii, quam ex hoc, quod erant ut plurimum patroni*

seu

(g) SIGONIUS de regno Italæ Lib. VII. p. 169. seq. GOLDA-
STUS *Confl. Imp.* Tom. I. p. 29. seq.

(h) NATALIS ALEXANDER in *Diss. de investituris Episco-
patum Art. I. §. 3. 4. Hist. Eccl. Sec. XI. & XII. Diss.
IV. p. 726. seq.*

seu dotatores ecclesiarum cathedralium & majorum monasteriorum Germaniar, investituras Episcopatum & Abbatiarum in ipsis Germania partibus usque ad tempora Henrici V. ut apparet, in Historia Francorum & ex aliis Chronicis, facere consueverunt. Nec erat hoc novum apud ipsos tantum. Nam & Reges Hungariae usque ad tempora Paschalis II. (ut refert Chronica Martini,) & Reges Burgundiae, (ut refert Historia Francorum sub Gestis Henrici II.) ac etiam Reges Angliae, (prout Dominus Eduardus Rex Angliae asserit in Epistola sua Domino Papae Clementi VII. sub annum 1343 directa,) id ipsum in suis regnis facere consueverunt. Reges quoque Hispaniae olim Episcopos Ecclesiarum Hispaniae de Episcoporum Consilio eligeant, ut patet in Can. 63. cum longe. Reges etiam Angliae tempore vacationis Ecclesiarum cathedralium & majorum Ecclesiarum Anglie & Normannie præbendas ipsarum quibusdam ex eis conferre solebant, quia Rex Anglie & Patronus earum, & habent ab eo magna feuda. Unde ratione juris patronatus, vel ratione feudorum, vel regalium eas confert (i). Jus patronatus & feuda huic scriptori cause esse videntur, quare principes seculares episcopos elegerint, aut constituerint & confirmarint. Nec negamus, novum jus inde terrarum Dominis accessisse. Superioritas tamen territorialis aut summa potestas, quæ juribus majestaticis continetur, præcipuum hujus juris fundamentum erat. Hinc & earum Ecclesiarum Episcopi ab Imperatoribus & Regibus constituebantur, quæ ab ipsis nec fundatae & dotatae, nec singularibus feidis donatae erant. Sed quicquid horum sit, ex iis, quæ diximus, satis apparet, summos imperantes mox ab initio hoc jure gavisos & usos fuisse, & hoc jus nequaquam à consensu & privilegio quodam Pontificis dependisse.

§. 6

(i) LUPOLDUS à BABENBURG Cap. VIII. de Zelo Veterum principum Germania & Gallie erga Cathol. fidem apud SIM. SCHARDIUM Tom. V. Collect. de potestate Imper. & Eccl.

§. 6.

**Investitura
per baculum
& annulum.** Cum autem munus episcopale conferebatur, id non simplici voce aut charta fieri solebat, sed simul symbolorum quorundam traditione. Porrigebat nempe summus Imperans **BACULUM & ANNULUM** à se creato vel confirmato, qui utrumque ad Metropolitanum, aut cuiuscunque erat, sacram ordinationis ritum peragere, deferebat, ut ex ipsius manu hæc collarae dignitatis signa denuo acciperet. Contra hunc morem impetuose declamat, simul vero & illius existentiam testatur **HUMBERTUS**, Cardinalis, Lib. III. contra Simoniac. Cap. VI. Nihil ad laicos pertinere, ait, baculum & annulum, quos Sacraenta ecclesiastica, & pontificalem seu pastoralem gratiam vocat, quod illorum traditione consecratio perficeretur. Rei injustiam inde probat, quod baculus & annulus, quos electus jam habuerat, denuo illi tradendi essent per manus Episcopi. Nam si prior traditio à potestate seculari facta legitima esset, non opus esse, putat, traditionis repetitione, quemadmodum nec baptismus à Laico administratus repeiceretur, quod eum ratum & legitimum esse, omnes Christiani crederent. Tandem hanc disputationem ita claudit: *Rogo ergo, cur redditur, quod habetur, nisi ut aut de nua res ecclesiastica sub hac specie iussionis vel donationis vendatur, aut in prima venditione corroboranda à Metropolitanano suisque suffraganeis subscribatur, aut certe ut præsumtio laicæ ordinationis pallietur colore & velamento quadam disciplinæ clericalis (k)?* Quatenus autem munus ecclesiasticum à principe seculari per baculum & annulum electo conferebatur, hæc solemnitas dicebatur **INVESTITURA**; Et quatenus electus vel confirmatus in officio sacro per baculum & annulum à **Metropolitanō** vel alio **Episcopo** instituebatur, **ORDINATIO** seu **CONSECRATIO**. Quamvis enim & alii ritus in consecrandis Episcopis adhiberentur, baculi tamen & annuli traditio præcipuus actus esse credebatur. Unde **HUMBERTUS** loc. cit. *Quid ad laicas pertinet personas, sacramenta ecclesiastica,*

(k) apud **MARTENE** in *Thes. Anecdot.* Tom. V. p. 779. seq.

*& pontificalem seu pastoralem gratiam distribuere, tamyros
scilicet baculos & annulos, quibus præcipue perficitur, militat,
& innititur tota episcopalis consecratio.*

§. 7.

Quando & qua occasione investitura illa cœperit, multum disputatum est ab eruditis. Sunt, qui putant, feuda & regalia Ecclesiis & Monasteriis concessa primam occasionem ne cœperit. Quando &
dedisse, tali ritu investiendi Episcopos. Cum enim bona ecclœstia modœ feudorum naturam induerent, & Episcopi ac Abbates bonorum istorum possessione simul regni Vasallii fierent, illis non licuisse, dicunt, dignitatem ecclœstiam adire, nisi Imperatori vel Regi fidem juramento prius dissent. Inde vero factum esse, ut Episcopi & Abbates, more aliorum Vasallorum, à Summo Imperante investirentur, ab initio consuetis Symbolis, quibus & aliis terra possidendæ tradi solebant, post vero baculo & annulo (l). Sed hæc sententia si vera esset, vanum & inutile fuisset horribile illud bellum de investitura per baculum & annulum. De solo usu externi symboli dimicatum fuisset. Nam feudorum & regalium collatio nunquam impugnata est. Concessus etiam usus sceptri. Sed inauguratio per annulum & baculum laicis non permittebatur. Hinc ista ceremonia non erat aut non esse credebatur mere politica (m). Accedit, feuda & regalia non ante tempora OTTONIS M. Ecclesiis cathedralibus & Monasteriis concessa esse, cum tamen investitura illa longe antiquior sit. Imperatores quidem & Reges, qui ante OTTONEM imperio præfuerunt, magna liberalitate in ecclesiæ usi sunt, easque

(l) NATALIS ALEXANDER in Hist. Eccl. Sec. XI & XII Diff. IV. Art. I. p. 725. MOSHEMIUS in Inst. Hist. Eccl. Sec. XI. Part. II. Cap. II. §. XIV. not. n. p. 408.

(m) Vid. MEIBOMIUS de lute Invest. Episc. Rev. Germ. Tom. III. p. 172. JO. AND. SCHMIDUS in Diff. de Baculo Pastor. p. 33.

que bonis secularibus donarunt, unde aliqualis fluxit jurisdictio (n). Hic vero Imperator primus est, qui Ecclesiis Cathedralibus in Italia, Gallia, Germania, Burgundia, Lotharingia constitutis multas civitates, castra, oppida, villas, & multa alia dominia donavit, & Archiepiscopos & Episcopos Ducatibus, Comitatibus, & Baroniis communivit, iisque nobiles & potentes Vasallos subjecit, ut THEODORICUS DE NIEM, aut potius Liber vetustissimus de *Investitura Episcopatum*, quem ille descripsit, refert (o). idem testatur PET. LAMBECIUS in *Orig. Hamb.* p. 10. ubi inter alia de Archiepiscopo Hamburgensi ADALDAGO ita scribit: *Et habentus quidem Archiepiscopi Hamburgenses, sacris tantum officiis vacantes, paucis villis, agris, sylvis, terris, aliisque ejus generis ad Ecclesiastarum Et Monasteriorum suorum sufficiationem necessariis rebus contenti fuere. Adaldagi autem & sequentibus porro temporibus nimia Imperatorum liberalitate urbes etiam & arces, atque adeo integros comitatus & regiones pleni dominii jure possidere coperunt.* Hanc vero liberalitatem non solus Hamburgensis, sed & multi alii Archiepiscopi & Episcopi experti sunt. Nam addit: *Sic idem Imperator Otto Fratri Brunoni Archiepiscopo Coloniam, Wilhelmo Filio Moguntino Archiepiscopo Moguntiam, Episcopo Spirensi Spiram, Mindensi Min- dam cum mero & mixto imperio & omnibus fisci imperiorum juribus concessit.* Quodsi ergo istae donationes & istae cuestiones Episcoporum ad dignitatem Principum & Vasallorum Imperii causa & origo investiturarum suffissent, ante haec tempora Imperatores & Reges nihil habuissent juris, Episcopos aut per annum & baculum, aut per alia qualiacunque signa, investiendi. Sed hic mos longe antiquior est. Vidimus, mox ab initio Imperatores Christianos & Gentium Barbararum Reges

(n) PFEFFINGER in *Vitriario Illustrato Lib. I. Tit. XV. §. 5. not. a. p. 115. seq.* donationes Ecclesiis factas à CHLODEO M. usque ad OTTONEM prolixè recenset.

(o) Apud SCHARDIUM de *Jurisd. Imp.* p. 261 & PFEFFINGER Lib. I. Tit. V. p. 495.

ges Episcopos constituisse vel confirmasse. Et hoc absque Symbolo factum esse, vix credibile est. Sique aliquando factum esse constaret, inde tamen non sequeretur universalis consuetudo. Mentionem fecimus §. 4. transactionis Romanorum cum CAROLO M. qua illi jus concedebatur eligendi Pontificem, & ordinandi sedem apostolicam. Hac ipsa vero constitutione simul decretum est, ut Archiepiscopi & Episcopi INVESTITURAM ab Imperatore acciperent. Quo ipso significatur, eam in Regno Galliae, & forte etiam in Longobardico, tunc jam in usu fuisse, & jura, qua Rex in Gallia haec tenus exercuisset, in regno etiam Longobardico valere. INVESTITURA autem significat traditionem possessionis alicujus rei, sive fundi, sive dignitatis, aut muneris, juriumque, quæ non sine adhibitis signis peragebatur (p). Et quemadmodum veteres hunc in finem signis utebantur, quæ aliquam affinitatem cum re donanda vel concedenda haberent, ita baculus & annulus in conferendo Episcopatu mox ab initio adhibitus esse videtur. Nam baculus est signum jurisdictionis & regiminis, annulus vero dignitatis. Certe annuli & baculi, tanquam insignium episcopaliū, mentio fit antiquissimis temporibus. Concilium Toletanum IV. quod A. C. DCXXXIII. celebratum est, disponit, ut Episcopus à gradu suo injuste dejectus, cum restituitur, orarium, annulum, & baculum recipiat, quibus in ordinatione sua insignitus fuerat (q). Et quamvis ex hoc canone pateat, Episcopum annulum & baculum è manibus Episcopi consecrantis accepisse, hoc tamen non obstat, quo minus uterque illi prius datus fuerit à Rege vel Imperatore, ut signum collatae aut confirmatae dignitatis. Imo vero hunc vere morem illius seculi fuisse, ex vetustissimo auctore, qui vitam ROMANI, Episcopi Rotomagenis, circa A. C. DCXXIII. clari, descripsit, discimus. Is enim inter alia nar-

(p) DU FRESNE in *Gloss. voce Investitura* Tom. II. p. 103.

(q) CONC. TOLET. IV. Can. XXVIII. apud HARDUINUM in Coll. Conc. Tom. III. p. 586.

narrat, *Regem CLOBOVÆUM II. ex consilio procerum, convoca-*
tis Episcopis & Abbatibus, ROMANO baculum pastoralēm con-
zulisse, & tunc eum inthronizatum esse pontificali apice (r).
 Videtur tamen aliquando baculus & annulus electo immediate
 datus ab Episcopo ordinante, sine prævia investitura à Summo
 Imperante facta. Quod ne imposterum fieret, & tandem in
 consuetudinem abiret, baculus & annulus pastoralis, mortuo
 Episcopo vel Abate, statim ad aulam deferri debebat, & illi
 rursus tradebatur, quem Imperator aut Rex Episcopum vel
 Abbatem esse volebat. Atque hanc consuetudinem in omni
 Ecclesia Latina & præsertim in provinciis Imperio subjectis
 inolevisse, ipse ONUPHRIUS PANVINIUS in vita Clementis III.
 fatetur.

§. 8.

Origo belli
inter Imp. &
Sacerd.

Verum enim vero diuturnam hanc consuetudinem dia-
 tius ferre nolebat GREGORIUS VII. P. R. vir magni quidem et
 fortis animi, sed et incredibili fastu et arrogantia inflatus. Pri-
 vatus adhuc variis conatibus jam ostenderat, quid ab eo me-
 tuendum esset fummis imperantibus. Et Pontifex factus eos
 aperto marte aggressus est. Synodo namque A. C. MLXXV
 Romæ coacta, legem tulit, qua Episcopos et Abbates à Per-
 sonis laicis investiri sub excommunicationis poena vetabat.
 De hac investitura in decreto ita loquitur, ut eam nihil aliud
 fuisse, quam dignitatis ecclesiastice collationem, satis pateat.
 Prohibendo igitur investituras Regibus et Imperatoribus adime-
 re volebat jus, Episcopos constituendi, et alia munera ecclesi-
 astica conferendi. Audiamus ipsa decreti verba: *Si quis E-*
piscopatum vel Abbatiam de manu alicujus laicæ personæ suscep-
perit, nullatenus inter Episcopos et Abbates habeatur, nec ulla
ei ut Episcopo vel Abbatii audiencia concedatur. Insuper ei
gratiam beati Petri et introitum Ecclesiæ interdicimus, quoad
usque locum, quem sub criminе tam ambitionis quam inobedien-
tiae, quod est scelus idolatriæ, cepit, deseruerit. Similiter
et-

(r) FRANCISCUS JURETUS in Not. ad Epist. CLVII. IVO-
 NIS CARNOTENSIS.

etiam de inferioribus dignitatibus ecclesiasticis constituimus. Item si quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram Episcopatus vel alicuius ecclesiastice dignitatis dare presumferit, ejusdem sententiae vinculo se adstringum sciat (s). Ex hac constitutione fluxit difficillimum illud et tam Reip. quam Ecclesiae funestissimum bellum inter Imperium et Sacerdotium, quemadmodum loqui solebant, h. e. inter HENRICUM IV. qui tunc imperio praerat, ejusque Successorem HENRICUM V. ab una, et P. R. GREGORIUM VII. ejusque successores ab altera parte quinquaginta fere annos gestum, quod non sine detimento iurium imperialium tandem A. C. MCXXII. finitum est celebri illo CONCORDATO NATIONIS GERMANICÆ, quo inter HENRICUM V. Imp. et CALIXTUM II. p. r. conventum est, ut Electiones Episcoporum & Abbatum praesente quidem Imperatore aut ejus Legato fierent, et ipse, orta inter partes discordia, ex Consilio Metropolitani & Provincialium seniori parti consensum et auxilium præbeat, elebti etiam Episcopi et Abbates regalia ab Imperatore PER SCEPTRUM recipient, ipse vero Imperator investituræ per annulum et baculum, prorsus renunciet (t).

§. 9.

Itaque per constitutionem GREGORII VII. impugnatum iustitia rei est jus regium, constitueri Episcopos, et conferendi dignitas discutienda-

ter

(s) Meminit huius decreti ipse GREGORIUS VII. in Epist. ad HENRICUM Regem eodem anno data, quæ est Epist. X. Lib. III. apud HARDUINUM in Conc. Tom. VI. p. 1332 seq. Exstat autem in HUGONIS FLAVINIACENSIS Chronico Virdunensi P. II. p. 196. ex quo illud transcripsit, ANT. PAGI in Crit. ad A. C. 1075. Tom. IV. p. 257 & plures alii.

(t) Legitur hoc Concordatum apud LEIBNITIUM in Codice Jur. Genz. Diplomatico Part. I. p. 2. & JO. SCHILTERUM de Libertate Eccl. Germ. Lib. IV. Cap. V. §. 6. 7. p. 561. seq. Historiam & ipsas tabulas conventionis exhibet CONR. a LICHTENAU, ABBAS URSP. in Chron. ad A. C. 1122. p. 266. seq.

tes ecclesiasticas, quod cum sibi auferri nollet HENRICUS IV.
 quamdiu vixit, fortiter restitit. Idem fecit HENRICUS V.
 Sed injuria temporum et calamitatibus Reip. tandem coactus
 est in juris hujus iacturam consentire. Hoc enim jus trans-
 actione ista Imperatoribus vere ademptum esse, ipse tenor in-
 strumenti docet. Mittit investituram per annulum et baculum,
 quam Imperatores tot secula exercuerant, de qua tam acriter
 dimicatum fuerat, et quam HENRICUS IV. præcipuum suæ
 Majestatis regale esse existimaverat. et concedit omnibus Ec-
 clesiis electionem & liberam consecrationem. Hæc libera conse-
 cratio quid aliud est, quam confirmatio Episcopi et Abbatis
 electi sine interveniente auctoritate Imperatoris, et quæ ab eo
 impediri nequeat? Permittitur quidem præsentia Imperatoris
 aut ejus Legati, cum novus Episcopus vel Abbas eligitur, sed
 tantum, ut parti saniori consentiat, et auxilium ferat. Quæ
 vero pars sanior sit, non ab ipsius sed à Metropolitani et Pro-
 vincialium judicio et consilio dependet. Jubentur etiam Epi-
 scopi et Abbates regalia petere ab Imperatore, sed post conse-
 crationem, et Imperator regalia, quæ Ecclesiæ tunc habebant,
 novo Episcopo et Abbatи dare et conferre obligatur. Deinde
 hæc traditio fieri debet per sceptrum, nou per annulum et ba-
 culum, ne quid potestatis in ipsam dignitatem ecclesiasticam
 habere videretur. Nam Episcopus, qui feuda et regalia pos-
 fidet, duplex persona est, ecclesiastica et politica, Episcopus
 et Princeps, Pastor Ecclesiæ et Vasallus imperii. In constitu-
 endo vel confirmando Episcopo, qua tali, Imperator nihil
 jurium habere debet. Hoc respectu unice ab electione Capi-
 tuli et confirmatione Pontificis dependet. Ut princeps et va-
 sallus imperii regalia quidem accipit ab Imperatore, sed hic
 quoque ea electo & consecrato dare debet, etiamsi esset per-
 sona minus grata, et minus idonea. Ita tandem Pontifex
 Romanus in hoc bello superior enasit, præcipua Majestatis
 jura summis Imperantibus violenter extorsit, seque ipsum su-
 premium et absolutum Ecclesiæ Occidentalis Dominum et Mo-
 narcham constituit. Et hanc tamen injustitiam non vulgus
 tan-

tantum Pontificiorum, sed et illi defendunt, qui saniores sunt, et de rebus Pontificum male gestis rectius et aequius judicare solent. Ita autem hanc causam agunt: *Investituram plane non pertinere ad potestates seculares; concessam quidem aut potius toleratam aliquamdiu fuisse à summis Pontificibus; Sed iterum auferri debuisse, cum horribiles abusus invalescissent, et Ecclesiam in hunc finem omnibus uti potuisse mediis.* Liceat nobis hanc causam paulo diligentius discutere, ut, in quo rei cardo vertatur, et quam injusta fuerit lis ista, Imperatoribus et Regibus intenta, clarius pateat.

§. 10.

Admodum difficile erat, argumenta proferre, quibus Status Conjuris investiturarum Summorum Imperantium aliqua specie impugnaretur. Imo quandoque ignoratum est, quid sibi velit, et quorundam tendat tota hæc controversia. Pontificibus quidem animus erat, Terrarum Principes à constitutione Episcoporum et Abbatum prorsus excludere, sibique solis torum hoc negotium tanquam mere ecclesiasticum reservare. Interdum tamen contra Investitures ita disputabant, ut de solo ulti baculi et annuli, tanquam rerum sacrarum, quæ tantum per manus Ecclesiasticorum tradi possent, agi videretur. Cum in conventu catalaunensi causam Imperatoris contra Pontificem Archiepiscopus Trevirensis ageret, idque moris prisci esse contestaretur, ut *eleccio non ante publicaretur, quam ad Imperatorem relata fuisset, ut, ubi eam probasset Imperator, tum à clero, populo, et nobilibus publica fieret eleccio, tum accederet electus ad Imperatorem, temporali Ecclesiæ ditione ab eo investiendus per annulum et virgam;* Pontificis nomine respondebatur, *conclamatam esse Ecclesiæ libertatem, illam, quam suo Christus illi consignavit sanguine, si à versatili Imperatoris voluntate dependerent Elecciones, et manus suas Imperatorem sacrilegio ansi temerare, si investiret per annulum et virgam, quæ pignora essent spiritualis potestatis* (u). Horum prius

(u) Ita ex LUGERIO, illius temporis scriptore, rem referunt
LUD.

directe oppositum est cooperationi Imperatoris ad constitutio-
nem Episcopi, posterius autem usui Symbolorum. Ut ergo
hæc obscuritas vel ambiguitas tollatur, notandum est, investi-
turam significare aut ipsam electionem Episcopi vel electi con-
firmationem, aut tantum usum annuli et baculi, quorum tra-
ditione munus sacram conferebatur. Si prius, quæstio erat,
num Imperatores et Reges jus habuerint, Ecclesiis proficiendi
Episcopos, aut, qui electi erant ab Ecclesia, confirmandi, sic
*ut absque ejus consensu munus ecclesiasticum adire non potue-
rint?* Si posterius, quærebatur, *num summis Imperantibus*
licuerit, consensem et voluntatem suam per traditionem annuli
et baculi declarare? De utroque jam ex instituto agendum
erit.

§. II.

Summi Im-
perantes ha-
bent jus con-
stituendi &
confirmandi
Episcopos.

Qui jus summorum Imperantium eligendi aut confirman-
di Episcopos aliosque doctores publicos agnoverunt, illud aut
ex fundatione et dotatione Ecclesie, aut ex donatione terra-
rum, quarum præcipua pars erant feuda Imperii, aut ex pri-
vilegio à Pontifice accepto, aut ex his fontibus junctim summis
derivare solent. Sed hæc non sunt vera hujus juris fundamen-
ta. Si quis Ecclesiam fundaverit, exstruxerit, aut dotaverit,
non iniquum est, ut illi concedatur jus, vocandi ministerium
Ecclesie. Sed primum hoc jus inde non necessario fluit. Im-
petrari debet consensu parochianorum, approbante et confir-
mante supremo magistratu, aut cuiuscunque est, externam
politiam Ecclesie curare. Limitari etiam varie potest, et pro
diversitate temporum limitatum est, sic ut non semper fuerit
eadem ratio juris patronatus (x). Secundo cum et Imperan-
tes et privati Ecclesiæ fundare et dotare possint, jus, quod
hoc fundamento nititur, commune foret Imperantium et pri-

va-

LUD. THOMASSINUS in *Diss. Ecclesiast. Part. II. Lib. II.*
Cap. XXXVIII. Tom. II. p. 419 & PET. DE MARCA in
Conc. Sacerd. & Imp. Lib. VIII. cap. XX. p. 1197.

(*) Vid. BOEHMER in *Jur. Eccl. Tom. III. Lib. III. Tit.*
XXXVIII. §. 4. 7. seq. p. 466. seqq.

vatorum. Et tertio Imperantes ex hac causa jus tantum habent in Ecclesiis à se fundatas et dotatas. Liberalitas illa Principium, quæ Ecclesiis feuda et regalia concessit, ratio quidem est, neminem admittendi, nisi qui placeat, et juramento Valli summo Imperanti sese obstringat, unde illius consensus et confirmatio necessaria est. Sed quoniam minus episcopale non necessario connexum est cum possessione horum bonorum, inde non fluit jus constitundi aut confirmandi Episcopos. Potuissent eligi et confirmari sine concursu Principis, ab illius autem arbitrio dependisset, electis feuda tradere et negare. Aut si electis tradi debuerint, singulari pacto et conventione opus fuisset. Hoc jus, quod unice circa bona secularia versatur, et ad solas ecclesiias, quibus aliquando feuda et regalia data sunt, extendi potest, nunquam impugnatum est à Pontificibus. Viderunt namque, nihil iniquius esse, quam ut Episcopi et Abbates feuda imperii invadant, et Imperator nihil habeat juris, eos investiendi. Quare cum investituras laicorum ferre nollent, PASCHALIS II. P. R. maluit, regalia Imperatori restitui ab Episcopis et Abbatibus, quam ea retineri cum investitura laicorum (y). Renitentibus autem Episcopis, qui civitates, ducatus, marchias, telonia, aliaque regalia dimittere solebant, tandem conventum est, ut Imperator eos his bonis investiret per sceptrum, et non per baculum & annulum, quæ spiritualis potestatis insignia esse credebantur (§. 8.) Qui denique à privilegio hoc jus dependere putant, quod præcipue Pontifices contendebant, ut aliquam diuturnæ consuetudinis investiturarum laicarum rationem reddere possent, illi supponunt, solius esse Pontificis vel Metropolitani, Episcopos investire, concessum autem esse hoc jus piis Imperatoribus et Regibus, et tanquam alienum ab iis exercitum. Qua in re licet multum contradictionis contineatur, quemadmodum deinceps ostensuri sumus, negari tamen haud potest, dari conventiones inter Imperatores et Pontifices, quibus hi

illis

(y) Vid. PASCHALIS II. Epist. ad HENRICUM V. apud HAR-
DUINUM Tom. VI. p. 179.

C

illis jus constitueri et confirmandi Episcopos tradiderunt. CAROLO M. et OTTONI I. facultatem concederunt, non tantum Episcopos suo imperio subjectos, sed etiam ipsum Pontificem Romanum eligendi et ordinandi, ut §. 4. ostensum est. At haec conventiones non erant novi juris traditio, neque juris, quod Imperatores sine illis non habuissent, sed tantum declaratio vel agnitus juris, quod illis ut legitimis terrarum suarum Dominis competenteret. Itaque non potest dici privilegium. Erant pacta, quibus jura summorum Imperantium corroborabantur, et quibus Pontifices promittebant, se ea nunquam impugnaturos esse. Quare si et nulla alia hujus juris fundamenta adessent, id tamen pactorum sanctitas satis firmasset. Sed datur omnino aliud principium, altius repetendum, et à voluntate hominum minime dependens, de quo nunc plenius acturi sumus.

§. 12.

Hujus juris fundamen-tum exponi-tur.

Est hoc summa potestas Principum, quam in terris suis habent, seu, SUPERIORITAS TERRITORIALIS, qua et Ecclesiam curare, et illi ministros praeficere possunt, nulla interveniente conventione, nullo prævio merito in Ecclesiam. Nam qui summam potestatem in aliquo regno habet, omnia secura reddere tenetur, et omnium felicitati prospicere debet. Inde vero nascitur jus, cuncta ordinandi et disponendi, quæ ad hunc finem faciunt. In primis Societatum curam gerere debet, ut florent, si profint Reip. et aboleantur, si noceant. Inde *primum* concipitur jus inspectionem in omnes societates exercendi, et præsertim in earum fines et instituta inquirendi. Si Reip. non noceant, sed potius salutares sint aut integræ civitati, aut alicui civium parti, eas confirmet, foveat, et tueatur. In primis autem eas protegat et ornet, quarum existentia jura cuiusvis naturalia continentur, et quibus impeditis ea prouersus caderent. Quia vero nulla societas confistere et perdurare potest, nisi illius membra certis legibus obstringantur, *novum* inde oritur jus principis, scilicet jus *leges ferendi*. Ipsa quidem societas aliquam formam condere, et leges describere potest,

potest, quibus sibi ad salutem et communem finem consequendum opus esse putat. Et utile est, hoc negotium Societati tradi. Nam ipsa melius intelligere merito presumitur, quid sibi utile et salutare sit, quam quisquam alius. Sed ad jura Principis pertinet, has leges examinare, probare et improbare, rejicere et confirmare. Ipse enim solus est Legislator in Rep. cuius auctoritas nisi accedat ad conventiones et pacta ci-vium, vim legis habere nequeunt. Obligant interne, si satis justae sint. Sed externa obligatio à sola voluntate Principis dependet. Hæc autem obligatio nullius foret momenti, si transgressiones legum impune ferenda essent. Quare cum potestate legislatoria connexum est *jus portarum*. Et quis illud exercere potest? Num subditus, qui legum vinculo tene-
tur, qui à communi imperio cum reliquis civibus dependet, suarumque actionum rationem superiori reddere obligatur? Absit. At Respublica alios cives non habet, quam principem et subditos. Ergo solius principis est, causam eorum cognoscere, qui contra leges Societatis deliquerunt, mediis cogentibus uti, ut illarum auctoritas conservetur, et immorigeris poenam infligere. Hæc jura sicuti ad Majestatem Principis intuitu cuiusvis societatis pertinent, ita et præsertim in eas exerceri possunt et debent, quæ sunt ampliores, magnam ci-vium partem continent, et quarum perturbationes ingens damnum ipsi Reip. inferunt.

§. 13.

Quæ de societatibus in genere dicta sunt, sine dubio et. Et applica-
iam de Ecclesia valent. Est enim societas in Rep. Fides qui-tur.
dem, illiusque externa professio, et ratio Deum colendi hu-
manis legibus nec præcipi nec prohiberi aut impediri potest.
Harum rerum soli Deo reddenda est ratio. Et quilibet jure
naturali et connato gaudet, de Deo statuendi, quod verum
et rectum videtur. Sed externa politia, et quicquid ad con-
stitutionem, ordinem, et conservationem Ecclesie pertinet,
quatenus est coetus visibilis, certo vinculo unitus, est sub cu-

ra et inspectione magistratus politici, tum ut cognoscat, quam relationem habeat ad Remp, tum ut illi securitatem præstet, commune bonum promoteat, bonum ordinem servet, et contra quascunque perturbationes, externas et internas, tueatur. Et hoc fundamento nititur jus Summorum Imperantium, ministros Ecclesiæ et hinc quoque Episcopos constituendi. His enim Ecclesia carere nequit. Sunt persona publicæ, quæ totum gregem curant. Illorum doctrina et vita genus Ecclesiæ multum prodesse et multum nocere potest. Ipsi in officio sancti et inviolabiles esse debent. Possunt hostes aut Ecclesiæ ipsius aut Reip. esse. Possunt vi et fraude officium invadere. Possunt delinquere, sic ut remotionem aut aliam poenam mereantur. Hujus generis homines certe constitui non possunt, nisi ab eo, cuius auctoritate quævis negotia publica geruntur. Aut si eos constituendi civibus facta sit potestas, eam à Summo Imperante acceperunt, nec contra ejus voluntatem exercere possunt. Quare opus est, ut novi Episcopi electionem Principi significant, et ab eo approbationem et confirmationem petant. Ipla quidem Ecclesia ab initio Episcopos sibi præfaciebat, insalutato Principe, et regulas condebat, in eligendis Episcopis servandas. Sed hoc ideo factum est, quod summi Imperantes ex odio christianæ religionis Ecclesiam persequerantur, et opprimere allaborabant. Tantum aberat, ut eam curare, aut idoneos et pios Doctores constitutere voluisserent. Itaque ipsa Ecclesia rebus suis consulere debebat, ne ex defectu ministrorum disliparetur, et prorsus interiret. Christiani Imperatores antiquum morem approbabant, et Episcopos ab Ecclesia eligi permittebant, sibi tamen retento jure, eos constituendi, si è re videatur, aut electos confirmandi vel recipiendi. Quod licet non semper exercuerint, tamen et nunquam abjecerunt, sed potius sequiori ætate, exortis variis litibus et turbis, leges tulerunt, ut nemo Episcopus haberetur, nisi à Summo Principe approbatus et confirmatus. Quin & ipsi quandoque Episcopos constituebant sine prævia electione populi. Et Ecclesiæ sine contradictione eos recipiebant, nisi
hære-

hærefoes aut criminis cuiusdam rei vel suspecti fuerint. Tunc autem non de jure Principis, sed de qualitate persona disputabatur. Ecclesia quidem postulare potest, ut suum haberet Episcopum, qui receptam religionem diceret, receptaque sacra administraret, & Ecclesiam secundum formam semel constitutam regeret, minime vero sibi obtruderetur Episcopus, aut à sua fide alienus, aut mala fama notatus, à quo varia scandala metuenda essent. Sed huic juri neutiquam repugnat jus summorum Imperantium, Episcopos constituendi aut confirmandi. Nam si constituantur, Ecclesia prius audi-ri potest & debet, num justas electum repudiandi causas habeat. Si tantum confirmantur, à manu principis accipit pa-storem, quem ipsa sibi elegit. Et si ex pluribus præsentatis unus eligatur, electum ipsa præsentatione jam prius approba-vit. Ita salvum manet jus Summi Imperantis, salva quoque libertas ecclesiæ.

§. 14.

Clamabant Pontifices, cum de Investitura Episcoporum Removetur disputaretur, *ab illo esse de libertate Ecclesiæ*, si dignitates ecclæsiasticae per manus laicorum conferantur. Et hos clamores renovant recentiores, qui furiosos impetus Pontificum in Imperatores factos laudant. Excusandi forent, si de solis ab-usibus quæstio fuisset. Sed ipsam collationem ferre nolebant. Et nunc, quæso, quænam est illa libertas, quam adeo magnifice deprædicant? Libertas, inquam, quam conluetudo Imperatorum Episcopatus conferendi tolleret? *Libertatem esse oporteret, quæ consisteret in jure Ecclesiæ, sibi ipsi pastores eli-gendi & præficiendi, sine concursu summorum Imperantium.* Sed huius libertatis nullum vestigium reperitur in S. literis. Quæ nobis pretioso Christi sanguine comparata est libertas, liberationem esse scimus tum à jugo legum ceremonialium Vet. Test. Act. XV. 10. 11. Gal. V. 1. Col. II. 16. 17. tum à dominio peccati originalis, Jo. VIII. 36. Rom. VI. 18. VIII. 2. tum à necessitate, ritus indifferentes sequendi. 1. Cor. VI.

C 3

12.

12. VIII. 9. X. 29. Jure quidem gaudet Ecclesia, suos pastores habendi, & eligendi, etiam sine consensu magistratus politici, si ille res ecclesiasticas curare nolit; jure etiam gaudet, rejiciendi malos & hæreticos, nec ferendi, ut sibi obtruderentur; sed nullo jure, summos Imperantes excludendi à cura, constituendi & vocandi ministros Ecclesiaz. Si principes seculares Episcopos constituant, in quibus jure nihil desiderari possit; aut si prius scire velint, quem elegerit Ecclesia, & prohibeant, ne quis absque illorum consensu & approbatione munus sacrum adeat; aut si denique ex pluribus oblatis & presentatis unum elegant, qui reliquis dignior videtur, & magis placet; salva manet illa libertas Ecclesiaz. Qui eam latius extendunt, sub prætextu libertatis ecclesiasticae potestatem principum secularium limitant, quam ullo modo violari Evangelium vetat. Nec, qui olim investitaram Episcoporum per manus laicorum impugnarunt, ullam ratione in assertore potuerunt aut ex Scriptura, aut ex natura Ecclesiaz Christi. Ad folios canones ecclesiasticos & consuetudinem antiquorum temporum provocarunt. Et quomodo Christus aut ejus Apostoli leges contra vocationes Pastorum per laicos ferre potuerunt, quorum præcipua cura erat, ut Evangelium pure prædicetur, & Sacra menta recte administrentur? Quod quamdiu contingit in Ecclesia, filii Dei in eadem nasci, & animæ salvari possunt. Et hoc contingere potest, sive à magistratu politico, sive à clero & populo Episcopi elegantur & vocentur. Potest omnino & doctrina & usus Sacramentorum corrumphi, si pastores à principibus secularibus mittantur. Sed idem quoque evenire potest, si à clero & populo elegantur. Et ab his posterioribus plures hæreses & abominationes in Ecclesiam introductæ sunt, quam à prioribus. Gloriatur Ecclesia Romana, se veterem morem Episcopum suum eligendi semper servasse, non admissa cooperatione Imperatorum. At quot falsis doctrinis, quot abusibus, quot superstitionibus Pontifices Romani Ecclesiam afflixerunt! Sed mittamus ista, & videamus, quibus argumentis eo tempore Imperatorum jura impugnata sint!

§. 15.

§. 15.

Vixit eo tempore ANSELMUS, Episcopus Lucensis, qui Argumenta causam Pontificum adversus Imperatorem tanto studio agebat, contra jura & ipse Episcopatum resignaret, quod baculum & annulum Imp. propria pastore ab Imperatore acceperat. Hujus viri extant *Libri* nuntur. *duo contra Guibertum Antipapam pro Defensione Gregorii VII.* (z), ex quibus omnia discere possumus, quæ Investituræ Episcoporum per manus Laicorum opponebantur. Nec nova reperimus in recentioribus. Certe NATALIS ALEXANDER, qui hoc argumentum ex instituto tractat, & jura Summorum Imperantium vehementiore impetu aggreditur, quam Gallum decuisse, tantum repetit ANSELMI argumenta (aa). In his autem quid legimus? Constitutiones Apostolorum, antiquam consuetudinem, decreta Pontificum, & Canones Conciliorum. Num vero istæ rationes tanti sunt ponderis, ut aliquid valeant contra jura Summorum Imperantium majestatica, aut Ecclesiæ libertatem afferant, in Scriptura minime fundataam? Mos erat antiquus, ut novus Episcopus à clero & populo eligetur, & à Metropolitano ordinaretur, non impenetrato prius consensu Imperatorum. Sed mos ille introductus est, cum Imperatores gentilium superstitioni addicti hostes Ecclesiæ essent, eam durissimis persecutionibus vexarent, & Ecclesia, qua pastoribus carere non poterat, sola sibi suisque rebus consulere deberet. Confirmabatur illa consuetudo à Conciliis, consentientibus & approbantibus Imperatoribus christianis, ita tamen, ut jus confirmandi aut etiam data occasione constituendi Episcopos sibi reservarent. Exercuerunt enim illud, non contradicente Ecclesia, imo ea quandoque petente, ut Imperatores suam auctoritatem interponerent. Falsum enim est, quod ANSELMUS afferit, christianissimos Imperatores, Constantinum, Constantem, Valentinianum, Theodosium,

Arca-

(z) Leguntur hodie in CANISII *Lett. Antiq.* Tom. III. Part. I. p. 372. seq.

(aa) NATALIS ALEXANDER in *Hist. Eccl. Sec.* XI. & XII. *Diss. IV. Art. II.* p. 728. seq.

Arcadium, Honorium, Carolum, Ludovicum, & alios hoc
ius nunquam sibi arrogasse, sed Eutychianos Imperatores,
Zenonem & Anastasium, violatæ libertatis ecclesiasticae primum
exemplum dedisse. Falsum hoc est, inquam, & historia
proflus contrarium testatur, uti ab initio hujus dissertationis à
nobis ostensum est. Canones Conciliorum vim legum non
habent, nisi accedar voluntas & confirmatio summorum Im-
perantium. Quæ quamdiu impetrari non poterat, ex jure
paclitio eos tantum obligabant, qui consenserant. Et si quis
dissenserit, implorari debebat potestas secularis, non ut execu-
tioni daret, quod decretum erat à Concilio, sed ut causam
cognosceret, & sententiam ferret. Hujus rei exemplum satis
memorabile extat in Historia Seculi III. PAULUS SAMOSATE-
NUS à Concilio Antiocheno ex capite herefeos damnatus &
depositus erat. Is vero, spreta Concilii sententia, nec digni-
tatem episcopalem deponere, nec è domo ecclesia excedere
volebat. Itaque Imperator AURELIANUS, gentilis, inter-
pellabatur à Concilio, qui, cum metueret, forte aliiquid ex
affectu contra Paulum decretum esse, rem ab Episcopis Italiae
cognosci, & illi dominum episcopalem tradi jussit, quem illi ve-
rum & legitimum Episcopum esse judicaturi essent (bb). Quæ-
stio erat, num Paulus iuste depositus, & Dominus legitime
electus fuerit. Et hanc quæstiōnem ab Imperatore, eodem
que gentili, decidi volebant illius temporis Christiani. Nonne
igitur ipsi crediderunt, in constituendis episcopis opus esse au-
toritate Imperatoris, & vanas esse electiones, nisi illius con-
firmatio accedat? Equidem hanc non requirebant, quamdiu
omnia in pace peragebantur. Nec consultum erat, eam pe-
tere. Imo nec semper eam sperare poterant. At quotiescum-
que dissensus de electo novo Episcopo oriebatur, videbant, se
consensu Imperatoris indigere, nec putabant, ejus concursu
libertatem Ecclesiaz violari.

§. 16.

(bb) EUSEBIUS in Hist. Eccl. Lib. VII. Cap. XXX. p. m. 282.

§. 16.

Sed quid de CANONIBUS APOSTOLORUM dicamus, ad Præsertim
 quos ANSELMUS provocat, & quos fundamentum omnis con-
 fuetudinis ecclesiastice esse contendit? Legitur inter eos &
 hoc decretum, quod in nonnullis collectionibus XXIII. in ali-
 is XXIX. rursus in aliis XXX. & XXXI. est: *Si quis Episcopus*
secularibus principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, de-
ponatur & segregetur, & omnes, qui illi communicant. Si
 ipsi Apostoli ita statuissent, reverentia, qua sancti hi viri ab
 omnibus christianis colendi sunt, posceret, ut id semper &
 ubique observaretur, etiamsi non esset lex ex divina inspira-
 tione lata. Sed hodie omni caret dubio, canones istos non ab
 Apostolis, sed ab incertis auctoribus successive compositos,
 & tandem in unum volumen collectos esse. De tempore autem
 disputatur, quo numerus eorum complectus est. Et hæc
 disputatio pro nostro scopo non est nullius momenti. Nam
 canonis, quo Episcopi per potestates seculares Ecclesiam adi-
 pisci prohibentur, rationem adsuisse oportet. Et hæc vix re-
 peritur in tribus seculis prioribus. Qui Apostolos Canonum
 auctores faciunt, putant, eos per Spiritus Sancti revelationem
 prævidisse tempora, quibus Imperatores aliquique principes chri-
 stianam fidem amplexuri, & pro arbitrio Ecclesias pastores
 præfecturi essent. Quod si ita le haberet, canon iste non tan-
 tum lex, sed etiam vaticinium de tempore Henrici IV. foret.
 Sed hanc canonis rationem reddere non possunt, qui Canones
 hos ab aliis viris & recentiori aetate compositos esse, recte sen-
 tiunt. JOANNES DALLÆUS, Vir magnæ eruditio[n]is, & præ-
 fertim in Scriptis Patrum versatissimus, existimat, canones
 istos ab impostoribus, uno vel duobus, fictos esse, & quidem
 post diuidium sed ante finem Seculi V. cuius rei hanc reddit
 rationem, quod ante A. C. 451 nemo illorum meminerit,
 circa annum 494 autem hæc collectio à GELASIO P. R. dam-
 nata sit.(cc). At vero GUIL. BEVERREGIUS prolixè probat, ho-

rum

(cc) JO. DALLÆUS in *Pseudepigr. Apost. Lib. III. Cap. XXI.*
 p. 685. seq.

D



rum canonum mentionem fieri apud Scriptores antiquiores,
 & in Actis Conciliorum Antiocheni, Coptani, Ephesini, Chal-
 cedonensis, & quidem sub nomine Canonum Apostolicorum,
 aut Patrum & Veterum. De quo licet cum hoc viro pertinac-
 iter pugnare nolim, consequentiam tamen, quam inde nec sit,
 minime concedo, sc. canones istos à viris apostolicis labente
Sec. II. & ineunte *Sec. III.* compostos esse, & ab hoc tempo-
 re paſſim innotuſſe (dd). Extitifſe tunc aliquos eorum, &
 quidem ſparſum, & extra collectionem, facile concedam.
 Sed plures non extitifſe, haud diſſiculter illi largientur, qui
 canonum materiam & temporum iſtorum rationem ponde-
 rant. Non licet nobis per omnes decurrere. Subſtantiam in
 eo, de quo nunc quæſio eſt. Canon diſponit, ut *Epifcopus*
deponatur, qui ſecularibus poteflatibus uſus munus ſacrum oc-
 cupavit. Hoc decretum certe conditum non fuſſet, niſi quis
 principium ſecularium auctoritate ad dignitatem epifcopalem
 ascendiffſet, & quidem, quod addendum putauſus, cum ſcan-
 dalo Eccleſiae. Sed hujus rei exemplum circa finem *Sec. II.*
 & initium *III.* non extat. Imo ratio illius temporis docet,
 neminem tunc per poteflates ſeculares ad Epifcopatum pro-
 moveri potuſſe. Ergo nec ad hoc tempus canon iſte referen-
 dus eſt. Si vero queras, quonam tempore & qua occaſione
 id accidere potuerit, cum hic canon æque, ac reliqui, anti-
 quissimus dicatur, nobis quidem nullum aptius illi conuenire
 videtur tempus, quam exitus *Sec. III.* Tunc enim Concili-
 um Antiochenum contra Paulum Samotrenſem celebrauitur, in
 quo canonem hunc conditum eſſe, admodum probabile eſt.
 Nam Paulus ille Samotrenſis favore & gratia ZENOBIAE, Re-
 ginae Palmyrenſis, promotus fuerat, cuius etiam protectione
 ſemper ſuebat (ee). Videtur ſine praevia elecione, in aliis
 artibus, & diſſentiente populo Eccleſiam intraſſe, non confe-

cu-

(dd) GUIL. BEVEREGIUS in *Jud. de Can. Apost. ſ. X.* apud
 COTELERIUM in *Patr. Apost. Tom. I.* p. 436.

(ee) ATHANASIUS in *Epift. ad ſolit. Vitam agentes. Tom. I.* app. p. 663.

cuturus Episcopatum, nisi auctoritas Reginæ intervenisset. Præterea homo erat pessimis moribus, quem, etiam si non accessisset hæresis, dudum loco movissent Episcopi, nisi brachio seculari & potestate Zenobiæ, quæ tunc in oriente regnabat, impediti fuissent. Scribunt de eo PATRES ANTIOCHENI, quod, licet pauper & mendicus fuerit, nec ullas facultates aut à parentibus relictas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset, tamen ad incredibilem opulentiam venerit, per scelera & sacrilegia fratrumque concussions & varias fraudes; quod seculares gesserit dignitates, et Ducenarius vocari maluerit, quam Episcopus; quod maxima hominum multitudine stipatus incesserit, adeo, ut ex illius fastu & arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adversus fidem christianam conflatum sit; quod inanem gloriam & pomparam in ecclesiasticis quoque conventibus captaverit; quod tribunal et sublimiem thronum perinde, ac magistratus seculares, sibi ipse construxerit; quod abolitis psalmis in Christi laudem cani solitis suas laudes in Ecclesia cani et prædicari instituerit; quod mulierculas subintroductas non tantum ipse alat, sed et à presbyteris et diaconis suis ali permittat, eosque protegat, et innumeris aliis sceleribus se abominabilem reddat (ff). Hæc scandala nec tolerata fuissent, nec tolerari potuissent, nisi potestate seculari munitus quosvis virorum ecclesiasticorum conatus irritos reddere potuisset. Quod cum experti fuissent Patres Antiocheni, et victa Zenobia sub imperio AURELIANI tandem hæreticum et sceleratissimum hominem expulissent, ne hæc mala Ecclesiam imposterum affligerent, decrevisse videntur, ne quis potestate seculari usus adeat munus episcopale. Et si res ita se habeat, tantum abest, ut hic canon sit lex universalis, qua jura summorum Imperantium, præsertim christianorum, limitentur, ut potius hac dispositione malo tantum temporario mederi voluerint. Neque hoc canone iuriis suis derogari crediderunt christiani Imperatores. Confir-

D 2

ma-

(ff) Apud EUSEBIUM in Hist. Eccl. Lib. VII. Cap. XXX. p.
281.

marunt veteres canones de electione et ordinatione Episcoporum. Sed simul sibi reservarunt jus, electos confirmandi et rejiciendi, quod etiam exercerunt, quotiescumque illis visum est. Imo et ipsi sepe vocarunt & constituerunt Episcopos. Nam quemadmodum canones in communem Ecclesiae utilitatem compositi erant, ita et ille, cuius erat, illis viam legum addere, jure gaudebat, ab iis cursus recedendi, quoties eadem Ecclesiae utilitas id postulare videbatur. Et hac re vetus Ecclesia suam libertatem violati non putavit.

§. 17.

Argumen-
tum à Simo-
nia dedu-
ctum.

Itaque constitutio Episcoporum per laicos, si in se spe-
cetur, nihil habebit vitii. Sed peccari poterat in modo. Et
vere ita peccatum esse, nemo negat. Vendebantur Episcopatu-
s et Abbatiae plus licitabitibus. Conferebant sepe homi-
nibus indignissimis, quibus Principes aut eorum Ministri bene
cupiebant. Tradebatur ergo Ecclesia non pauperibus, sed lu-
pis voracibus, qui aut conscientia aut doctrina carebant, qui-
que non animas curabant, nec curare poterant, sed ambitione
turgentes et voluptatibus diffuentes bonis ecclesiasticis pasce-
bantur. Hæc publica calamitas vehementer movebat omnes
bonos viros. Turpe est, et ingentia damna inferuntur Rei-
publicæ, si officia secularia vendantur. Longe turpius, si ec-
clesiastica. Veteres hanc mercaturam appellabant SIMONIAM,
quo nomine etiam nostra adhuc ætate venire solet. Idem
enim peccatum committi credebatur, quod Petrus in Simone
Mago Act. VIII. 20. seq. tantopere detestatus fuerat (gg).
Evidenter utrinque diversa est ratio. Animarum tamen curam
non sine maxima impietate emi et vendi posse, res adeo evi-
dens est, ut nulla demonstratione indiget. Itaque Pontifi-
cem Romanum omnino decebat, huic malo, quantum pote-
rat, obviare. Et laudandum foret GREGORII studium, si
mo-

(gg) Historiam criminis simoniaci prolixe narrat THOMAS-
SINUS in Disc. Eccl. Vet. & Nova Part. III. Lib. I. Cap.
49. seq. p. 188. seq.

modo iustis et christiano Episcopo dignis mediis usus fuisset. At ille mandabat, minabatur, excommunicabat Episcopos & amicos Regis, qui criminis Simonie rei credebantur, adimbat Imperatori jus, constituendi Episcopos, excludebat eum à communione ecclesiastica, denique et imperio privabat. Hæc omnia iusta erant, et minime toleranda. Etsi enim peccatum fuerat in usu hujus juris, eripi tamen poterat nec HENRICO, nec successoribus ejus. Erat enim jus ad Majestate pertinens. Et si forte eo privandus fuisset, id tamen prævia causa cognitione à legitimo judice fieri debuisset. Quis vero inter mortales esse potest Summorum Imperantium judex? Forte Pontifex Romanus? Id sibi persuadebat GREGORIUS, flatuebatque in Dictatibus, quos dicunt, HILDEBRANDINIS (hh). At quos DEus reliquorum hominum judices constituit, & quos suas vices in terris sustinere voluit, illi ab aliis hominibus judicari nequeunt. Omnium minime hanc potestatem judicariam exercere potest Episcopus aut Romanus, aut alius quispiam, cuius est, docere, leges divinas inculcare, & in primis auctoritatem summorum Imperantium, de qua Paulus Rom. XIII. 1. seq. doctrina et exemplo communire. Non sine horrore legimus quorundam Pontificiorum principia, qui Ecclesiam quibuscumque mediis ad vindicandam suam libertatem uti posse sentiunt, ac si huic societati armis quoque carnalibus pugnare liceret. Longe aliud armorum genus illi traditum est à suo conditore. Arma Spiritualia. Veritas & pietas. His debellare potuisset & debuisset Simoniacos.

§ 18.

Simonia abominabile crimen semper habitum est in Eccl. Plenius illud clesia, cuius rationem inde petebant Patres, quod per eam discutitur. Spiritualia ad conditionem temporalium dejicerentur, rectius

ve.
 hh) Extant in BARONII *Annal.* ad A. C. 1076. num. 31. seq.
 Tom. XI. p. 509. & HARDUINI *Coll. Conc.* Tom. VI. Part.
 I. p. 1304. De auctore vid. mea *Comment.* de *Jurisd.* Epist.
Rom. Cap. IV. §. 71. p. 184.

vero à malis ex hoc vitio in Ecclesiam redundantibus repetendam esse, perspicue demonstrat ZEGER BERN. VAN ESPEN (ii). Quia vero hoc genus flagitii plerumque clam committi solet, de variis modis cogitatum est, quomodo caveri queant corruptiones patronorum et collatorum, et ordinationes simoniacorum. In nostris Ecclesiis nullum efficacius medium, quo hoc malum impediri possit, inventum est, quam JURAMENTUM SIMONIACUM, quo vocatus et ordinandus jurare tenetur, se pro impetrando munere sacro nec quicquam solvisse, nec quicquam promisso. Evidem hoc juramentum non ubique in usu est. In multorum tamen Principum Protestantium terris praeflari debet. In primis memorabile est edictum FRIDERICI I. Regis Borussiae, quo Consistoria severe prohibentur, Candidatos sine prævio hoc juramento ad officium ecclesiasticum admittere, & ad Simoniam non tantum resertur pretium solutum aut promissum, verum etiam spes ducendarum viduæ aut filiæ antecessoris, aut etiam cujuscunque alius matrimonii contrahendi, patrono facta (kk). Recte autem monet b. BOEHMERUS, hæc quoque juramenta facile eludi posse, nisi illorum formulæ satis caute et provide concipiatur. Interim hoc medium, arcendi Simoniacos, adhiberi tantum potest, ubi publicæ leges extant. Tempore GREGORII extabant quidem leges de Simoniacis non recipiendis, imo eriam de iis deponendis. Ipse canon apostolicus multum habebat auctoritatis. Potuisset ergo has leges sequi, quantum sine tumultu et majori scandalo fieri poterat. Potuisset in sua diœcesi Simonia palam reis & convictis sacros ordines denegare. Potuisset suspectos adigere, ut juramento se purgarent. Potuisset fratres suos monere, ut eundem morem servarent. Potuisset etiam ab ipso Rege HENRICO IV. petere, ut hanc legem Episcopis Germaniae & Italiae præscriberet. At il-

(ii) VAN ESPEN in *Jure Eccl. Univ. Part. II. Tit. XXX. §. 3. seq. p. 634. seq.*

(kk) Extat apud BOEHMERUM in *Jure Eccl. Protel. Lib. V. Tit. III. §. 27. Tom. IV. p. 687.*

ille initium faciebat excommunicando Episcopos iam ordinatos, quos soluto prelio sacrum munus redemisse aut certo aut probabiliter norat, volebatque, ut secundum hanc legem à se latam nonnulli Episcopi Germaniae, quos hoc vitio infestos esse contendebat, deponerentur. Hæc res nullo modo excusari poterat. Veteres quidem in ea erant opinione, Simoniacos pessimis hæreticis pejores esse, ideoque in communione ecclesiastica minime tolerandos, ut patet ex Libris III. HUMBERTI Cardinalis adversus Simoniacos scriptis (ll). Sed in eo etiam graviter errabant. Simoniacus peccaverat in modo adipiscendi munus sacrum. Sed poterat eum facti poenitere. Poterat animum emendare. Poterat sibi à scandalis cavere. Poterat etiam Evangelium pure confiteri et prædicare. Atque tunc nulla ejus excludendi causa erat. Res plane pertinebat ad disciplinam ecclesiasticam, à cuius rigore recessendum est, cum non sine turbis et scandalis servari potest. Atqui hæc mala omnino metuenda erant. Episcopi damnati munus suum dimittere solebant. Brachium seculare implorandum erat. Hoc vero protegebat exclusos. Multi Episcopi cum illis communicabant, qui propterea etiam excommunicandi erant. Inde oriebantur Schismata & bella civilia. Hæc omnia ponderare debuisset Pontifex, & mala minora ferre, ne majora Ecclesiam & Remp. simul perderent. Conscientiam obtendere non poterat. Ipse enim nec promoverat nec ordinaverat Simoniacos. Nec tolerando hoc malum, quod justis mediis impedire non poterat, participabat peccata aliena. Verum hæc omnia non curabat arrogans præful. Inviolabilem suam Majestatem esse credebat, cuius mandatis ab universo orbe obtemperandum esset. Quare cum videret, HENRICUM decreto morem non gerere, aliud componebat, quo investitura Episcoporum & Abbatum per manus laicorum prorsus prohibebatur. Atque hoc decretum erat tuba belli, et fons ingeatum malorum, quæ Germaniam & Italiam miser-

ri-

(ll) Extant apud MARTENE in *Theſ. Aneclot.* Tom. V. p. 633. seq.

rime affligebant, & quibus tandem ipsis Imperatoribus cedendum erat, ut præcipuum Majestatis suæ jus transferrent, in Pontificem.

§. 19.

Cur Imperatores annulo & baculo uti non debuerint.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, satis apparet, jus constitueri & confirmandi Episcopos per summam injuriam erexit esse summis Imperantibus. Sed eo tempore disputabatur etiam de **ANNULO & BACULO**, quorum traditione dignitates ecclesiasticae conferebantur. Horum enim signorum usum Pontifex Imperatoribus aliisque Potestatibus secularibus permittere solebat. Per Concordatum non tantum electioni & confirmationi Episcoporum, sed & usui annuli & baculi renunciare debebant, & pro iis substitutum est sceptrum, quo mediante regalia & feuda recens electo tradenda essent. Quare ergo potest, *cur aliqualis investitura per sceptrum, nulla vero per annulum & baculum permissa sit?* quare Imperatores pro retinendo, & Pontifices pro abolendo hoc ritu tanto-pere pugnaverint? Annon sufficerit, electiones Capitulis, & confirmationem Pontifici vindicare, Imperatoribus vero investituram per annulum & baculum relinqueret? Videntur Pontifices credidisse, traditionem annuli & baculi rem sacram esse, quæ per manus laicorum profanari non deberet, ut §. 10. jam monuimus. Sed haec non erat vera certaminis causa. Etsi enim consecratio à Pontificiis Sacramentum esse statuatur, etsi etiam hic ritus præcipue per annulum et baculum peragi crederetur, tamen haec signa non adeo naturalia & essentialia erant ordinationi, ut illorum traditione Sacramentum confici existimatum esset. Nam, ut alia taceamus, denuo tradebantur ab Episcopo in consecratione, quod propter prohibitam ordinationis repetitionem fieri haud potuisse. Traditione annuli & baculi per manum Principis erat & vera & actualis collatio muneric episcopalis. Significabant Imperatores hac ceremonia, quem hujus vel illius Ecclesiae Episcopum haberi

&

& ordinari vellent. Erat signum arbitriatum, primis Christianis plane ignotum, quod vero ex opinione illorum temporum, de quibus loquimur, eam conditionem acceperat, ut qui alicujus Ecclesiæ annulum & baculum teneret, pro Episcopo rite electo & vocato haberetur, quemadmodum, qui insignibus regni ornatus est, pro Rege haberi solet. Et communem esse oportuit illius temporis persuasionem, Episcopatum illi rursus adimi non posse, qui annulum & baculum semel accepisset. Ideo enim defuncti Episcopi annulus & baculus statim ad aulam deferri debebat, ne quis inscio & invito Imperatore vel Rege per illorum traditionem Episcopus constitueretur. Ideo etiam Pontifices annulum & baculum ab Imperatoribus tradi nolebant, ne Ecclesiæ Episcopum recipere tenerentur, quem ipsæ non elegissent, & Pontifices non confirmassent. Scilicet Pontifex totus in eo erat, ut summos Imperantes à collatione dignitatum ecclesiasticarum prorsus excluderet. Itaque illi non sufficiebat, liberam electionem Ecclesiis vindicare. Confirmationem quoque electi manibus Imperatorum extorquere intendebat. Hanc enim ad se soluna pertinere arbitrabatur. Sed verebatur, ne confirmatio penes Imperatorem maneret, si investitura per annulum & baculum illi concederetur. Ergo omnem movebat lapidem, ut à protestatis secularibus auferretur. Quia vero Episcopi regalia, quæ possidebant, & quæ magna pars Imperii erant, dimittere nolebant, & ea tamen nolente summo imperante occupare non poterant, concedebat Pontifex, ut bona secularia ab Imperatore acciperent, sed, ne quid ecclesiasticæ potestatis vel dignitatis conferri videretur, per sceptrum, et non per annulum & baculum.

§. 20.

Ita privati sunt Imperatores aliisque principes præcipuo ^{Num Con-}
quodam Majestatis suæ jure. Composita transactione cum cordatum re-
HENRICO V. non amplius poterant Episcopos constituere, nec ^{scindi possit}
electos confirmare. Hoc jus sibi vindicaverant Capitula &

E

Por-

Pontifices. Summis Imperantibus quoad hanc causam nihil juris remanebat. Potius illis imponebatur dura necessitas, & consentiendi in electionem, & electis conferendi feuda imperii. Quae res cum sit injustissima, & summis Imperantibus indigna, quæsumus est recentiori tempore, an non illis recedere liceat à pacto, & totum illud Concordatum rescindere. Id quidem visum est viris eruditis, & rationes non improbabiles attulerunt (mm). Nobile hoc argumentum, quod ex solis Juris Nat. & Gent. principiis decidi potest, sine dubio singularē discussionem meretur. Itaque cum de eo in utramque partem disputari possit, quid nobis videatur, paucis expōnemus.

§. 21.

Judicium de
hac causa. Factorum sanctitas & inviolabilitas ab omnibus agnoscitur. Sunt tamen causæ, quibus illorum obligatio tolli potest. Primum enim pactum non obligat, si injusto metu extortum sit. Secundo fervari non potest, si legibus divinis & naturalibus repugnet. Et tertio vim suam perdit, si alterutra pars à pacto & illius conditionibus recesserit. Applicemus hoc ad præfens negotium. Imperatorem multis calamitatibus & periculis adactum esse, ut investituræ renunciaret, omni caret dubio. Certum etiam est, hac mala illi inflicta esse à Pontificibus, qui non sine maxima injustitia & impietate in Imperatorem & Rempublicam seviebant. Injustissimo itaque metu consensus in abdicationem hujus juris illi extorquebatur. Quodsi ergo omnis injustus metus pacta irrita reddit, neque hoc pacto Imperator obligari poterat. Sed principium hoc magna restrictione opus habet. Primum de injustitia metus certo constare debet. Cum justitia prætensionum utrinque obtenditur, nec communis datur partium judex, res in medio relinquenda est. Transactiones, quibus tunc pax coinponitur,

(mm) Vid. JO. SCHILTER *de Libert. Ecc. Germ. Lib. IV.*
Cap. V. §. XI. seq. p. 565. seq.

tur, involvunt consensum, prætensiones alterius partis non esse injustas, & approbari oblatas pacis conditiones. Datur promissum de non retractando promisso ex capite injusitiae rei aut metus incusii. Bona fide agitur. Et hinc sœdus validum est. Alioquin nullum paclum obligaret. Quisque enim, mutatis circumstantiis, queri posset, se injuria temporum, metu, periculo, &c. coactum esse ad consentiendum. Secundo qui ex metu, licet injusto, paciscitur, malum minus præfert majori, sponte agit, suisque rebus melius consuli haud posse putat. Tale promissum à deliberato confilio & libertate procedit, et, si acceptetur, paclum reddit validum. Quod si applicemus ad contentionem imperii et sacerdotii, qua Imperator ad pacisendum cum Pontifice coactus est, fateri oportet, sœdus illud ex hac causa revocari non posse. Pontifex quidem iniuste agebat, se tamen jura Ecclesiæ tueri obtendebat. Erat subditus Imperatoris, sed eum judicem agnoscere nolebat. Et quemadmodum ipsi Imperatori vires deficiebant, Pontificem in officio continendi, ita nec communis aderat iudex, qui de iustitia causa inter partes cognoscere potuisset. Pontifex excommunicabat, et bella civilia ciebat. HENRICUS IV. fortiter resistebat, sed infeliciter. HENRICUS V. etiam contra hanc tempestatem animum obfirmabat, atque utinam illi contigisset, armorum vi petulantiam Pontificis et vesaniam sceleratorum compescere. At cedendum erat tempori. Calamitates in dies crescebant, et verendum erat, ne tota Resp. periret. Metuebat fata Patris. Hinc consultius putabat, quædam Majestatis jura quam totum imperium amittere. Vident lectores, paclum iniquissimis mediis extortum, ipsum tamen iustum et validum esse, quoniam Resp. et salus populorum aliter confervari non poterat. Secunda ratio pacli hujus non ferandi probabilior est. Pacla, quæ legibus divinis & naturalibus repugnant, sunt injusta, et hinc moraliter nulla. Num vero tale paclum erat Imperatoris cum Pontifice? Fateor, omnino esse ex parte Pontificis Romani. Ipse enim fidem & obedientiam præstare debuisset Imperatori, Domino suo. Sed

tumultuatus est, justum imperium excusavit, alios ad seditionem et rebellionem concitavit, et denique jura majestatica illi eripuit. Evidem hoc pacto in statum plenariae libertatis & independentiae transpositus est. Sed hanc libertatem violentis et injustis mediis extorsit, et quamdiu illa frui pergit, iniuriam suam continuat, nisi libero et spontaneo consensu Imperatoris ea confirmetur. Quod enim ab initio injustum erat, solo temporis tractu, licet longissimo, justum reddi non potest. Sed ex parte Imperatoris nulla lex violata est. Habebat jus sacrorum, sed illi renunciare poterat. Nulla lex vetabat. Quin potius boni principis est, aliquid sui juris dimittere, si falsus publica postulet. Quare ex parte Imperatoris locum non habet objectio, pactum hoc salva conscientia, salvisque legibus divinis servari non posse. Si quid igitur illud dissolvere potuisset, tertiam causam adesse oportuisset, scilicet, cum una pars à suo promisso recedit, neque suum alteram servare teneri. Nam recompensum alteri datum est conditio pacti, qua non existente nihil promissum est. Atqui non existit, cum una pars non præstat, quod se præstatum promisit. Pariter non existit, cum quis promisso sibi dato in alterius damnum abutitur, aut illud latius extendit, quam par est. Ergo si quid horum, facta transactione, peccatum fuerit à Pontifice, Imperatores jure omnino gaudebant, concordata abolendi, et pristina jura repetendi. At qnis ignorat, quantopere potestate sua abusi fuerint Pontifices? Liberam electionem ecclesiis restituere volebant. Et nemo eam magis turbavit, quam ipsi. Simonia caveri debebat. Etipsi tamen Pontifices Episcopatus pro arbitrio vendiderunt, aut ab electis sub variis prætextibus ingentem auri vim exegerunt. Omnes causas ecclesiasticas, quin & civiles ad forum suum traxerunt. Legatos in provincias miserunt, qui aut suspenderunt aut limitarunt legitimam Episcoporum potestatem. Novos instituerunt Episcopatus. Veteres transtulerunt. Majores diviserunt. Subjectos suis Metropolitanis et Archiepiscopis exemerunt. Instituerunt et disjecerunt pro lubitu. Et quis omnes
ti-

rixas, exactiones, et injurias, quibus populos afflixerunt, recensere posset? Qui harum rerum nonnihil nosse cupit, legat tantum *Gravamina Nationis Germanicæ*, sub initium Reformationis in Comitiis Norimbergensibus legato Romano oblatæ, de quibus longa querela fuerat, nulla tamen emendatio impetrari potuerat, sed calamitates potius quotidie ingravescebant (nn). Hæc vera causa erat, qua Imperatores ab obligatione Concordati absolvere, iisque pristina jura, quibus Carolus M. Ludovicus, Ottones, Henrici, alii usi fuerant, restituere poterat. Et forte recuperatus fuisset omnis antiquus splendor imperialis majestatis, si per temporis rationem agere licuisset, quod per legum auctoritatem agere licebat. Certe CAROLO V. non deerat animus heroicus. Nec ignorabat suæ dignitatis jura. Extat oratio gravis et tanto Imperatore digna, qua Pontificem Bononiæ increpabat, cum is ex vanis causis synodus effugere tentaret, quam tota Europa desiderabat, et qua magno et forti animo declarabat, se exemplum Constantini & Theodosii imitaturum, & Ecclesiæ non defuturum esse, si Pontifex suum officium negligere perrecturus sit (oo). Ita & cæsarea auctoritate synodum convocasset, & alia jura imperatoria, præsertim in constituendis & confirmandis Episcopis, repetiueret, nisi aliis negotiis, & in primis rationibus politicis impeditus fuisset. Non meliores facti sunt recentiores Pontifices. Pergebant sua potestate abuti, & ex Concordatis ea tantum servare, quæ sibi prodesse censebant, reliqua vero omnia pedibus turpiter conculcare. Quare etiam STATUS PROTESTANTES sèpius sollicitarunt, ut ex hac ipsa causa concordata abolerentur (pp). Sed imperatores magis de mitigandis abusibus, quam tollenda potestate pontificis, suorumque juriū recuperatione cogitarunt.

§. 22.

(nn) Extant hæc gravamina apud FRIED. HORTLEDERUM
de Causis Belli Germ. Lib. I. Cap. I. p. 10. seq.

(oo) Vid. GE. COELESTINUS in Hist. Comit. Tom. I. p.
24. 15.

(pp) HERM. CONRING. de Const. Episc. per Germ. §. 84.
FABER in Staats-Canzellej. Tom. IX. p. 774.

QK III 41146

38

§. 22.


Protestantes
ab omni ob-
ligatione
Concordato-
rum exenti.

Protestantes vero nullo vinculo Concordatorum tenen-
tur, etiam si in Germania vigorem suum retinuerint. Nam nec
Pontificem, nec jurisdictionem Episcoporum papalium agno-
seunt, nec ullo nexus cum Ecclesia Romana coherent. Et
hanc jurisdictionem jure excusserunt. Cum enim Episcopi
ministros evangelicos ordinare nollent, ipsi sibi suisque rebus
consulere debebant. Vocabant suos pastores. Praesiebant
illis Superintendentes, qui quidem mundano splendore Epi-
scoporum papalium carebant, primorum autem Episcoporum
munere fungebantur. Ordinabant suos ministros ad morem
veteris ecclesie. Instituebant judicia ecclesiastica, quae juris-
dictionem principum suorum nomine exercebant. Et ad hos
proprie redibat, quod Imperatoribus à Pontificibus injuste ad-
emtum erat. In his omnibus sequebantur verbum Dei, &
propriam conscientiam, quæ non permittebat legem recipere,
illis solis latam, qui superstitionem, errores, & abusus Pon-
tificum Romanorum approbant. Fremebant Pontifices. Pug-
nabant execrationibus, & quantum poterant, armis quoque
carnalibus. Sed Dei beneficio nobis praestita est securitas,
primum PACE RELIGIOSA, qua tollebatur aut potius suspen-
debatur Jurisdictio Episcoporum in Protestantes, deinde IN-
STRUMENTO PACIS WESTPHALICÆ, in cuius Art. XVII. §. 3.
cautum est, ne ulla CONCORDATA CUM PONTIFICIBUS con-
tra eos allegentur, & Art. V. §. 19. expresse sancitur: Si
quid Annatarum, jurium pallii, confirmationum, mensium pa-
palium, & hujusmodi jurium & reservationum nomine in bo-
nis Statuum Augustanæ Confessionis ecclesiasticis immediatis à
quocunque, quandocunque, aut quomodo cunque pretendatur,
id validitate & executione à brachio seculari impetranda ca-
reat.



X2502156





b. m. E. III.

h. 24. 17.

DISSERTATIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

INVESTITURA

P E R

ANNULUM ET BACULUM IMPERIO INJUSTE EXTORTA

QVAM

PRÆSIDE

JO. ERNESTO SCHUBERTO

S. TH. D. ET PROF. PUBL. ORD. SACR. REG. MAJ. SUEC.

CONSIL. ECCLES. PRIMAR. REGII CONSIST. ASSESSORE,

ET PAST. AD AED. ST. MARIE.

PATRE SUO VENERANDO

IN ACADEMIA GRYPHISWALDENSI

D. VII. DEC. A. R. S. CCCCCCLXXIII,

PUBLICE DEFENDET

GUIL. JULIUS LUD. SCHUBERT

HELMSTADIENSIS

LL. CULT.

GRYPHIAE

LITTERIS A. F. RÜSE

REG. ACAD. TYPOGR.

